

fore dignoscitur necnon ad tutelam, securitatem et custodiam fluviorum Rodani et Isare circa loca predicta et omnium itinerantium seu navigantium ac mercimonia queque deducantium in locis predictis, directum vobis et successoribus vestris ac eidem ecclesie dicte Bastide dominium retinentes, ac investivitis vos episcopo et comes prefatum cardinalem presentialiter de eisdem, prout in instrumentis publicis inde confectis dicti cardinalis ac vestris sigillis munitis plenius premissa omnia detinentur, et instanter nos dicto cardinali rogante, ut donationem et concessionem vestras huiusmodi ratas et gratas habere ac auctoritate regia confirmare et insuper Bastidam ipsam sibi et dictis heredibus et successoribus suis de novo donare ac in eum et illos plene transferre auctoritate eadem deberemus. Nos provida consideratione pensantes persecutiones multiplices, sumptus et dampna gravissima, que idem cardinalis et sui preteritis temporibus adversantibus eis potissime propter obsequia predecessorum nostris Romanorum regibus et imperatoribus per cardinalem ipsum et suos ac progenitores eorum in honoribus et iuribus imperii conservandis et manutenendis multipliciter et diversimode sunt perpassi, ad quorum satisfactionem nos et imperium eisdem recognoscimus obligatos, et propter hec habentes ad ipsos multe compassionis affectum ac volentes eis premissorum obtentu de alicuius satisfactionis et aliqualis restaurationis in dictorum dampnorum compensationem providere remediis, sperantes etiam, quod quanto potioribus ipsos favoribus prosequemur et gratiis, tanto constituemus ipsos ex debito ad honores nostros et imperii promptiores, volentes insuper propter hec dictum cardinalem, tam sublime membrum ecclesie Dei, peculiarem reddere nobis in nostris et imperii iuribus conservandis amicum, postulationibus eius annuimus et prelibatas donationem et concessionem vestras de dicta Bastida sicut premittitur factas ratas et gratas habentes, non obstantibus quibusvis dictorum predecessorum nostrorum privilegiis seu mandatis fortasse contrariis, et volentes habere ipsas et illa perpetui roboris firmitatem, eas et ea auctoritate regia confirmavimus, quoad alia et tenore presentium confirmamus ipsamque Bastidam cum iuribus, pertinentiis et appenditiis prelibatis cum libertate, immunitate et exemptione, mero quoque et mixto imperio ac iurisdictione totali memorato cardinali ac heredibus et successoribus eius universalibus vel in rem, ad quem vel quos de iure seu ipsius cardinalis dispositione, ordinatione vel voluntate devenerint, de novo concedenda duximus et